33.

11 12

S. D. Vere in nos competit illud Homericum:
αἰσχρὸν δὴ δηρόν τε μένειν, κενεόν τε νέεσθαι.
Cum enim 19 fere septimanas abfuerimus,
dicere non possum, quid ibi effectum sit. Illa enim
doctrinarum collatio, propter quam Wormaciam
missi fuerimus, vix dum inchoata, specioso
praetextu abrupta est ab adversariis, postquam
nostri παραστάται discesserunt a nobis
propterea, quod initio statim noluimus
publice edere condemnationes errorum
quas dicunt nunc turbare Ecclesiam, ut adiaphoristarum,
Maioristarum, Osiandristarum, Zwinglianorum,
et nescio quarum aliarum, cum tamen nostri
peterent prius explicari ipsos articulos, ut
singulis postea possent addi condemnationes
eorum, qui de singulis prave docuerunt.
Ita dimissi a praeside, rediimus Dei beneficio
incolumes ad scholam et domos nostras vicesima
secunda die Decembris, quod ideo significo,
ut scias, quo mittere literas tuas posthac
debeas. Nunc in tanta festinatione scribere
plura non potui, sed mitto scriptum Theologorum
nostrae partis, quod postremum praesidi
exhibuerunt ante abitum. Pro munere tuo
gratias tibi ago, et oro, ut posthac mea
causa sumptus non facias. Sed vasculum Batyzi
meae coniugi in absentia mea non est traditum,
sed Conradus Kiel Bibliopola ignorans cuius
esset, secum retinuit, et magna ex parte
absumpsit, offerens mihi compensationem, si ex Dau
mano cognoscat, mihi id tradi debuisse, et
1557. quanti id aestimetis, certior fiat.
Dec. 26.

1500. Jan. 15

N. 13

Tu quoties certum hominem nactus fueris,
scribes ad nos accurate. Interea bene vale,
et salutem meam coniugi, et Deum consule Do-
lum. Data festinanter die Stephani anno

1558

Paulus Eberus

Reverendo viro pietate
eruditione ac virtute
praestanti Dno Alberto
Hardenbergio S. Theolo-
gae Doctori in ecclesia
Bremensi, suo fratri.